


hoc vitium referuntur qui dicebantur ἀγέλαστοι, quòd nunquam riserint, quales fuerunt qui in Trophonii specum oraculorum causâ descenderunt. Anaxagoras Clazomenius philosophus per totam vitam nunquam risit, ut scribit Volat. libr. 13. anthrop. cap. 3. Ælian. lib. 8. de varia hist. M. Crassus, M. Catonis Censorii (qui & ipse nunquam risisse scribitur, teste Volat. libr. 13. anthrop. c. 3.) avus nunquam in tota vita risisse fertur, nisi quando asinum vidit carduos comedentem, quòd similes haberent labra lactucas; Cic. lib. 3. Tuscul. quæstion. & Erasmus in prov. Similes habent labra lactucas.



Cap. XII. De Sedulitate.

Sic fuit virtus, quæ moderatur affectum gratiorem in desiderio & lætitia; sequitur quæ moderatur affectum minùs gratum; estq; vel in labore, vel in adversitatibus.

2 Quæ est in labore, dicitur Sedulitas, quæ est virtus moralis, laboris moderatrix.

S C H O L. Dicitur Græcè φιλοπονία, item ἐπιμέλεια, & aliàs clariùs definitur, quòd per eam labores & operas nostræ personæ & officio convenientes alacriter suscipiamus, & constanter perficiamus. Pulchrè Poëta: Fac tu quæ tua sunt, quæ functio vera requirit. Nec certè licet cuilibet quoslibet labores suscipere, quia non quivis labores cujusvis vocationi & officio respondent, nec eadè est cujusque vocatio. Quare unusquisque se intra suæ vocationis limites contineat, nisi πολυπράγμων audire velit. Exemplum habemus ipsum Christum, Johan. 8. vii qui mulierem adulteram à Judæis adductam non condemnavit, sed cum dehortatione ab illo peccato dimisit. Noluit enim Christus judicem politicum agere, sed se in suo officio continere. Et certè qui multa suscipit, singulis par esse